



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib VIII. Formica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Significarunt & in portentis cornua dignitatem, ut purpurea illa, cum quibus Bos albus olim natus, Albino Clodio tum primū in lucem edito: Imperatoriam enim illi dignitatem portendisse persuasum est. Quæ quidem ille jam grandis cum Tribunus effectus esset, in templo Apollinis Cumani suspendit, sortesque illis has eduxit:

Virgil. Æn. lib. 6.

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pavor, Gallumq; rebellem.

Sed hæc verbosius forte quam par erat explicuimus, nulla tuarum occupationum ratione habita, mi Bocchi. Sed nosli Cervi Cornua esse insigniter ramosa, quæ τὸ πᾶσι δὲ τῶν τε pro cœnaculis ad parietes affigantur, in quorum scilicet ramos hospites domesticiq; omnes, annulos, sudaria, pileos, & id genus multa soleant appendere, cum se vel cœnaturi, vel accubaturi, volunt expeditos. Hinc tot ea fuerunt, quæ Cervinis cornibus applicata reperisti. Quæ quidem si tuæ non respondent expectationi, quid ego veniam à te deprecer, qui maxime omnium unus nosli occupationes meas? Pro summa vero eruditione tua dabis operam, ut Cervus meus & torquibus aureis, & insignioribus aliis monilibus adornetur: unde aliquod eo sanctissimæ amicitia nostræ monumentum posteritati relinquantur.

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER VIII.

DE IIS QUÆ PER FORMICAM, ET SCARABÆUM, ET ECHINUM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ROMULUM AMASÆUM.



Quod maxime omnium animalium duo, te Formica scilicet & Scarabeus (quorum vitæ alterum negotiose, ejus alterum quæ in natura Deorum, contemplatione versetur, hieroglyphica sunt) in admirationem traxerint, minime mirum est, eruditissime Romule, cum & veteres Philosophi omnes in certamen commiserint, utrum brutum, humanum, an divinum etiam eorum esset ingenium altercantes, & an ea vera sint, quæ lib. de Nat. Deo. apud Ciceronem legimus, in Formica non modo sensum, verum etiam mentem rationemque atq; memoriam esse. Pythagorici enim, ut optime nosli, animam omnem, quæ sensibus & memoria sit prædita, rationis identidem atque etiam orationis esse partem asseverant: neq; interioris tantum, verum etiam exterioris, quæ uniuersusq; generis animalia, quantum necesse habeant, inter se mutuo loquantur: Minime vero mirum esse, eorum quæ Bruta vocamus, verba non discerni à nobis, Italis videlicet aut Græcis, cum barbarorum etiam multorum verba minime discernamus, qui utrum loquantur an vociferentur, distinctè satis non sâne possumus intelligere. Quamquam proditum est, fuisse etiam apud antiquos, qui sermonem animalium omnium intelligerent, inter quos Melampyrum & Tiresiam præcipue memorant, & multorum scriptis celebratum Apollonium Tyancum, quem referunt in amicorum cœtu & audisse & intellexisse Hirundinem alius nunciare Asinum prope urbem onustum tritico cecidisse, triticumq; humi diffusum. Philostratus ubi historiam istiusmodi narret. Passerem fuisse scribit, quem ita loquentem Apollonius intellexit. Ut cumq; vero calluisse & cum avium & brutorum id genus linguas, uno omnes consensu tradunt. Sed enim parum hoc mihi videtur, quod, ut alia missa faciamus, Formicæ Scarabæive inter se loquantur, cum alia in his spectemus, quæ prudentiam, quæ pietatem, quæ legum observantiam, quæ agendarum intelligendarumq; rerum, quæ vel Philosophis interdum negotium facessere consuerint, noticiam præ se ferant, quod multis hinc

Brutorum sermo à nonnullis intelletus.

A mane vita commodatibus illa ipsa quomocumq; animalia nobis documento fuerint. & vivendi propemodum rationem indicavint. Sed ne ego ineptus, qui super his ad Romulum Amasæum eruditissimum eloquentissimumq; virum disseram. Sed enim dabis hoc amicitia nostræ, ut etiam liceat intripere: de q; iis sermonem facere, quæ tu decies in anno longè disertiis & eruditius è suggestu publico docere soleas. Nostram vero hanc diligentiam non est, ut obscuro quissimam existimet, quod in tam tenui moremur insecto, cum in eo tam magna naturæ miracula delitescant: quæ cum Egyptii sacerdores diligenter contemplati essent, hæc per Formicam suis hieroglyphicis adscriptam significari voluerunt.

INVESTIGATIO. CAP. I.

Diligentissimam in primis investigationem, solertiamque in iis comparandis, quæ ad usum vitæ facerent, per hujus animalis hieroglyphicum ostendebant. Formica siquidem ea quoque deprehendit, quæ quisquam accuratissime occultaverit, pari cum Sole diligentia, qui quotidie omnia terrarum opera visitatione sua collustrat: quapropter in Isthmo Soli Formica immolari solita.

PROVIDENTIA. CAP. II.

Mox & providentiam demonstrabant quia memor hyemis cibaria comparat & recondit, & cælas promptuarias facit, semina interim ne nascantur morfu secant, abrofaque condit, ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutilia inde sibi ad usum alimenti fiant. Quin etiam si ea imbre madefacta senserit, profert atque exficcat, idque eo tantum tempore, cum tranquillum atque ferenum cælum præsenferit. Quamobrem nunquam ex nubibus imbrem effluxisse conspexeris, cum à Formicis expositum est frumentum: quod supra humanæ intelligentiæ captum esse negarit nemo, nisi paucissimos commemorare velimus, ea insignes præfigitura: uti Democritum fuisse memorant, quem tradunt iussisse fratri, cælo admodum sereno, ut quam rapidissime posset messim omnem sub tecta inferret, atque effusissimum paulo post diluvium subsecutum. Ad hæc, hanc prudentiam, sive cælestium cognitionem Formicæ adscribit Alianus, ut cum nonum à Lunæ coitu diem inauspicatum nonnunquam eo die de latebris exeat. Sed ut ad asservandæ frugis providentiam revertamur, ea si homini largius, aut pari saltem cum Formicis portione concessa esset, Phalaris Agrigentinum tyrannus loca quædam in Sicilia munitissima tam parvo negotio minime cepisset. Is enim simulato cum oppidanis fœdere, frumenta quæ residuo habere se dicebat, apud eos deposuit: deinde data opera, ut camera tectorum, in quibus ea condebantur, rescissa pluviam reciperent, frumenta que ita computrescerent, illos fiducia additi comæatus proprio tritico abufos, primo æstatis initio aggressus, inopia compulsi ad deditorem. Quod ut exemplo nobis sit, sacræ etiam literæ adhortantur, quæ pigros desidesq; admonent, ut ad formicam se conferant, atque illa prudentiores fieri contendant. Salomon Formicam, minimum terræ animal, sapienter sapientibus asleverat: propterea quod sibi præparat in messe cibum. Deus vero, ut arbitratur Adamantius, industriam hanc vel quasi providentiæ similitudinem Formicis dedit, ut aliis ratione utentibus perspicuum esset exemplar, quo Formicarum opera contemplantes, ad res gerendas ipsi quoque aggredierentur, usui necessaria compararent, & parta discerent asservere.

LABOR INDEFESSUS. CAP. III.

Ad hæc laboris perseverantiam ex Formica picta significabant: nam ea non interdiu solum verum etiam noctibus labore exercet. Quanta vero diligentia eandem semper itat viam, neque unquam aberrat à loco, in quo quicquam reposuerit? quanto nixu semina, quæ præ pondere gestare non possit, pedibus protrudit? quam officiose aliæ fessis succedunt, opemque afferunt? ut merito sit exemplum nobis magni Formicæ laboris, quæ argutam longè argutius Cicadam eluserit, cum illi, ut in fabulis est, respondit. *Æstate quæ cantavern, hyeme salta.* Aneæ Platonici in Theophrasto, ubi disserit Euziteus, eorum opinionem refellit, qui defunctorum animas ajunt id genus animalium sectari, cujus vitam, dum in humanis essent, imitabantur, ad diligentissimam hanc investigationem, sollicitosque labores Formicam accommodat, quam, si ita esset, Ulysses post obitum assectari cogeretur, qui

qui nobis ab Homero exemplar datus est, in quo quid virtus, & quid patientia posset, intueremur, idemq; laboriosus omnium Poetarum celebratione decantatur. Plato autem in Phædone tradit, eorum animas, qui popularem civilemque virtutem absque Philosophia, consuetudine exercitationeq; freti, exercuerint, in Formicas abire post obitum. Nam & ea quæ de Myrmidonibus narratur fabula, Theagenes eo quod super Ægina scribit opere, quem scriptorem Pindaricus interpres citat, Ægineas ait, olim in subterraneis speluncis habitasse, quamq; excavabant terram in cultum arborum egere solitos, mox fructus congestos introferre: unde à Formicarum similitudine nomen illis Myrmidonum accesserit. Sedenim de Myrmidonibus prisorum fabula est, ne Græci unquam nugari desinant, Joyem in Formicam mutatum Eurymedusam Archelai filiam compressisse, unde Myrmidon genitus ejus gentis caput.

*Fabula
Myrmido-
num, lib. 3.
& Theagenes hi-
storia 123.
septima
obituum.*

PIETAS. CAP. IV.

*Mutua for-
micarum
officia.*

REcite autem & pietatem, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per Formicam expresseris, si commear eam in formicarium species, Formicæ alterius cadaver inferentes: pro-
dire ex cavo aliquas, factasq; obviam quasi consternatas retrocedere, bis idem terq; facitare, alias demum vermiculos ab inferiori loco, utpote redemptionis præmia, quibus cadaver redimant, con-
nectare: alias vero tentare, si quæ dissectæ fuerint, ut partes committant, & coherere faciant, impel-
lere etiam, ut quæ nihil intermittant, quo explorent, an per se demum redire queant. Quod si quis, ut
Æliano teste Cleanthes inquit, animalia hæc rationis expertia contenderet, sola hujus rei contem-
platio admiratione errorem emendare potest. Quantum vero pertinet ad victus conversationem,
Petrarcha noster maluisse hæc de Ape potius, quam de Formica dici, ne furacitati adeo favere vide-
remur. Nam & in fabulis est, formicas, quæ nunc sunt, homines aliquando fuisse agrestes, eodem
ferme ingenio, quo reliqui fere omnes rustici damnantur, furaces scilicet & raptores, qui licet in id
genus animalia fuerint transmutati, pristinum tamen convecandi prædas, & rapto vivendi morem
obtinuerunt. Animadvertendus vero locus est Levitici cap. xxi. *Si fractum, si cicatricem habens*: ubi
Septuaginta pro *Si fractum, Si formiculosum* reposuere, per quem loquendi modum hieroglyphicum
scilicet interpretes eum intelligi volunt, qui cogitationem omnem in terrena & secularia negotia
conferat, neq; pensi habeat quicquam nisi ut cibo potuq; saturet: quandoquidem hæc formica
rum vita, ut quæ ventri apta sint & commoda undecunq; contrahant congregentque, ut notat He-
fychius, illudq; Salomonis de quo superius, *Vade ad Formicam, opiger, & vias ejus considera*, ita intel-
ligit, nempe quia pigrum ignavumque ad negotia provocabat, non ut qualia Formica facit, rapto
scilicet vivendo, faceret, sed ut laborem, diligentiam, providentiamq; ejus in rebus operibus amu-
laretur.

INÆQUALITAS. CAP. V.

*Morum
distingui-
tudo.*

Sunt qui collegas impares, aut inæqualitatem in moribus, in dignitatibus, in censu, & in omni de-
nique vitæ colore significantes, Camelum & Formicam pingant, laboriosum utrumque animal,
sed facie magnitudine, reliquoq; ingenio magnopere inter se disident, ut nullis comparationis ter-
minis circumscribi valeant. Apud Ægyptios, fateor, hieroglyphicum hoc non haberi, sed usitatissimi
proverbii citatio, *μύρμηξ ἢ κάμηλος*, ne prætereatur, monet.

*Lucianus 1.
epist. Satur.*

OPULENTIA. CAP. VI.

Illud exploratum satis, opulentiam per Formicas significari, non tam apud Ægyptios, quam etiam
apud Aruspices, sive de nostratibus, sive de Indicis intelligamus: quarum hæc quidem victui neces-
saria oppido congerunt, Indicæ aurum, & pretiosam supellecilem accumulunt: ut non immerito
Formicaria bona de affluenti divitiarum copia dicantur, quam augures iis portendi asseverant,
apud quos illa rem congerant: veluti Mida illi Phrygi, cum puer esset, dormienti Formicæ in os tri-
tici grana congersere, ex quo ditissimum hunc fore ita prædictum est, ut evenit.

MULTITUDO INFESTA. CAP. VII.

*Fatales
Formicæ.*

Alioqui Formicæ, infestæ multitudinis signum apud Aruspices fuisse, ut quæ Neroni mortis ap-
propinquantis præfagium attulerunt, qui sibi visus est per somnum pennatarum Formicarum
multitudine oppleri. Nam & paulo post concitata in eum multitudo, mortem accelerare compulit.
Ferales etiam fuisse Tiberio, quæ Serpentem ab eo in deliciis habitum adhuc viventem corrodere:
nam

A nam Aruspices cavendum sibi esse à multitudine responderunt. Sunt qui inauspicatas esse putent, ob colorem, qui omnino feralis est, quanquam in Pephno insula Laconiae Formicæ candicant.

INTERITUS. CAP. VIII.

In universum autem conjectores ideo Formicæ indicium esse mortis asseverant, quod terræ filiae sint, & subterraneis cavis habitent, quo identidem mortuorum cadavera inferuntur.

AUDITORUM FREQUENTIA. CAP. IX.

At solis literarum professoribus lætum est, ex Onirocritarum disciplina, Formicæ in aures obambulantes imaginari: siquidem ajunt puerorum multitudinem hinc significari, quæ ad audiendum cum multo numero sit adventura, unde Martialis in optatissima Grammatici commoda iocatus ait:

Sicæ frequens audiunt capillari.

INANIS GLORIA. CAP. X.

Probatissimi sapientissimi que morum scriptores quidam *κενοδοξίαν* per Formicæ hieroglyphicum expressere. Inanem nostri gloriam dicunt, qua nos ipsos supra modum & meritum aestimamus, tacitque nobis applaudimus. Latet enim plurimum hoc vitium in abditis animi recessibus, cogitationisque deliciis pascitur & educatur. Formica vero in cavernis sese libenter continet, nec nisi necessitatis causa prodit in propatulum: cum scilicet aut speculatum, aut prædatum properat, vel congestas opes curat, de quarum sollicitudine superius satis dictum. Habet vero hoc Formica cum *κενοδοξία* simillimum, quod laboribus & fructibus insidiatur perinde ac insidiosa pestis, hæc quicquid præclare egerimus, & quascunq; ad opes acquisiverimus, labefactare furtim aggreditur: illa in opes jam partas, hæc in virtutes & partam jam existimationem populabunda. Fecimus quid in bello fortiter, fors & corona donati sumus? surrepit hæc clanculum, & folia decerpit singula, dum nostra nos facinora narramus, & gloriosum militem, ut in comædiarum fabulis est, imitatur. Prudenter aliquid cavimus, id quicquid est Cenodoxia vitiat, & gloriando mutat in imprudentiam. Beneficio aliquem affecimus, destruit illud gloriatio, efficit; ut de quo benemeriti fuerimus, maleficio se à nobis affectum putet: operamque ita & oleum perdamus. Plurimum temporis in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in continentia, in animi corporisque moderatione, sine ulla mentis aversione consumpsimus, **C**advenit Cenodoxia, quæ fructum omnem, quem per labores tot collegeramus, rapidissime depopuletur. Ingeniose, doctè & accurate aliquid conscripsimus? sed dum nos ipsi illud efferimus, & aut nostros nos non apparere labores ingemiscimus, aut eorum venditione molesta gloriam affectamus, Cenodoxia illa, illa inquam statim obscurat, quæ alioquin futura erant illustria: proque ingenio, soliditatem; pro doctrina, imperitiam; pro studio, negligentiam objeçat. Danda itaque est opera, ut laudabilia quidem faciamus ex quibus gloria sponte nascatur, sed cum eam visi fuerimus acquisivisse, negligemus potius quam efflagitemus: ita enim cumulator, & corollariis etiam aucta ultro perita subsequitur. Siquidem:

Virtus ipsa sibi præcium est, nihil indiga laudis,

diceret Claudianus; eam tamen vel invitam honor & commendatio comitatur.

DEPOPULATIO. CAP. XI.

Sed ut ad Ægyptios revertamur, agrorum vastationem & infrequentia facta loca, quæ populosa prius fuerant, per formicam & Origanum fasciculum sacerdotes illi significabant: per Formicam, uti superius declaratum est, hieroglyphicum populi, quod passim jam habetur: per Origanum, soliditatem ejus intelligentes. Ea siquidem herba loco apposita, qua Formicæ meant, modico vel salis, vel sulfuris pulvisculo simul inperfo, efficit ut iter deferant, suisque relictis cavernis alio migrent. Nam & Sotionis in agricultura præceptum est, Origanum sylvestre frumenti acervis circumspargere, ne Formicæ grana depopulentur. Sed si actutum eas tollere quis velit, experimento compertum est, facilius summo veri posse, si captas aliquot combusseris, & cinerem in cavum injeceris: in agro vero si candefactum ferrum in cespitem ubi nidificant impeggeris. Est vero Origanum herba vulgo etiam nota Romæ, & aliis Italiæ locis, Latine Cunila bubula appellatur, quam utpote præcipue suam Ligures littorales *Cornabuliam* vocant, putri, ut proverbio fertur aptissimam salsamento. Cæterum cum permulta ejus species ab authoribus referantur, eademq; variis cognomentis appelletur, satis fuerit attestari Cunilam bubulam esse, quæ *ὄρηζανος* Græce dicitur, quam à Testudine, cum ea Viperam

M 2

ederit,

Idem lib.
53. infra

Gillæ. Alii
& P. Atani
Virtutes.

ederit, ad incolumitatem carpi dicit Aristoteles, & ab eo Plutarchus. Apud Plinium legas, contra Serpentes privatim, quæ Cunila bubula appellatur: apud Aristotelem, Ciconiæ cum vulnus acceperint (eas enim cum Serpentibus assidue dimicare cognitum) Origanum plagæ imponunt. Theodorus Gaza vir accuratissimus, ubicumque sit Origanum interpretandum. Cunilam reddit: quorum fuerunt testimonia adducenda, quia nonnulli Cunilam bubulam eandem & Origanum esse, pertinaciter negant. Addam illud, cum inter tres præcipuas Origani species Onites connumeretur doctissimos ætate nostra viros de hac non parum dubitare, eamque sibi incognitam ingenue profiteri. Nostri Belunenses speciem quandam Origani, caule, foliis, & floribus grandioribus vulgo apud nos provenientem, Pulegium asininum vocant (unde putarim Onitis vocabulum, ut pote quod *ὄνις* est, qui Asinus est, commodissime deduci posse, apud nos ita Latine interpretatum) ea vero herba nimirum Cunila est. Ne vero cuiquam mirum adeo videatur inesse vim ejusmodi gramini tam vulgari, ut Formicas fuget, Ambrosius herbam quandam memorat Gillam appellatam, cujus folia turtur nidis suis excluso fetu superjacere soleat, eoque pacto pullos ab Luporum incurfu deprædationeque tutari. Lupus enim folium hujusmodi usque ad fugam abhorret. Leopardus vero Allium ita sibi sentit abominabile, atque contrarium, ut si quis eo locum, ubi ille moretur, confricuerit, exilire cogatur, & auferere. Alianus primo de naturis animalium scribit, Noctuas à Ciconiis suo nido procul summoveari, Platani eo foliis importatis, quorum contactum Noctux ferre nequeant, ex eo in torporem illabentes, Ciconiasque ita pullorum suorum incolumitati prospicere, quibus assidue Noctux inimicibiliter insidiantur: de quarum alitum inimicitiiis suo loco dictum est. Neque vero Ciconiæ tantum, Turturesve aut Testudines medelam sibi nanciscuntur naturæ ductu, verum etiam & Canes, & Sues, & ex animalibus pleraque alia, Canes quidem, cum fellis vitio laborant, gramen illud suum decerpunt. Sues, si cephalalgia crucientur, stuviales Cancros investigant. Mustelæ rutam, si quando colubrum comederint, carpunt. Angues marathro lippientes oculos depurgant. Hujusce rei quamnam sit causa, non otiose queritur à quibusdam: quippe cum animalia neque didicerint ab aliis, neque quidem doceri potuerint, cur ita norint quæ suis sint ægritudinibus utilia: quæ nos aliis disputanda in medio relinquemus, iis jam contenti, quæ ad veterum picturas declarandas facere videbuntur.

INCOLUMITAS. CAP. XII.

FELICITER mihi quidam videntur excogitasse, ut si hominem graviore aliquo morbo confectum, minime tamen rei cuiusquam ope incolumitati redditum significare vellent, ursam linguam in Formicas exporrecta hieroglyphice pingerent. Ursam enim ferunt Formicarum esu, quas lingua illexerit, ac mox potu adhibito deglutierit, morbi opem sibi comparare: quod eo præcipue tempore facit cum primum è specu prodit, ubi jejuna hyemavit. Nam Aron in primis agreste pascebat (eam Dracontii speciem Medici ponunt) cujus acerbitas intestinum inedia concretum laxat: quod si nullam attulerit opem, Formicis eo modo devoratis, incolumitati pristinx restituitur.

LATEBRÆ. CAP. XIII.

DE latebris vero, in quibus aliquis se contineat, per Vespertilionis alam, & Formicam indicatis, inter reliqua Vespertilionis significata diximus.

DE SCARABEO. CAP. XIV.

C de Formica quidem hæc dicta sufficiant. Quod vero pertinet ad Scarabeum, Appion ille Grammaticus, quem Cymbalum mundi Tiberius est appellare solitus, rideri à plebisque visus, quod curiosa nimium interpretatione, Solis operum similitudinem vermiculo tam exiguo, tam bruto inesse collegerit, ad excusandos gentis suæ ritus: quæ pilularem Scarabeum magna ex Aegypti parte inter numina coluerit, quem reliqui etiam in fabulis tanta veneratione profecuti sunt, ut scribere non dubitarint, quemadmodum Scarabeus inexorabilem se vel ad Jovis preces opposuerit, qui multis ab eo verbis contendebat, ut cum Aquila rediret in gratiam, coactumque Jovem ipsam alia ratione tantæ ire obviam inimiciæ. Ceterum si



A quæ de Scarabeo traduntur vera sunt, vera autem ut credamus esse, non ipsius Appionis tantum auctoritas, verum & Aristotelis, & Plutarchi, & aliorum scriptorum excellentium consensus efficit, imo ut nihil hi scripserint, quæ passim nosmetipsi quantum fieri potuit oculata fide perspicere potuimus, non verum asseverare, pervicacis esse ingenii. Tam igitur super operibus ejus admiranda cum sint, tantum abest ut vel Appion, vel Ægyptii alii sacerdotes, qui signate adeo rem interpretati sunt, ridendi videantur, ut merita potius, hoc est, magna & ingenti laude fraudandum minime sit eorum inventum.

MUNDUS. CAP. XV.

Cur enim quis Ægyptios sacerdotes irrideat, quod mundi speciem, motusque ipsos per Scarabeum significari tradiderint, non satis video, si pilulas illas, in quibus seminum ex sese primum habuerint, ac in vermiculos primum, mox in certam effigiem conformati fuerint, ad mundi ipsius imaginem & rationem fieri compertum est. Scarabeus enim certo anni tempore bubulum excrementum nactus, materiam eam sibi suscipit elaborandam, quod primo statim facis suæ versu mordet Aristophanes, *αἰὲρ ἀπὸ τοῦ μύσκαρος ὡς τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ*. Quo loco maxam Poeta pro Excremento posuit utcumque primum ex ea pilulas conficit, ut jam mundi ipsius formam initio imitentur, mox eas ab ortu occasum versus posticis impellens pedibus, non intermissa rotatine, protrudit, ipse interim a versus ortum spectat: quasi de industria id det operâ, ut cæli ipsius exemplar intiendo imaginem ejus exprimere conetur. Quid vero illud, quod inter trahendum a Subsolano in Africum fertur, quasi astrorum cursui fieri obviam contendat, qui quidem proprio motu ab Africo ad Subsolanum est? Neque me præterit, esse qui non bovillum, sed asinum excrementum ad hoc opus deligi autumant: & ab eo inter volutandū genitale semen fimo superfundi comminiscuntur, unde materies ipsa concipiat. Addunt etiam, ut historia sit verisimilior, nomen ipsum convenire, quod Canthon asinus sit, unde Cantharus insectum id denominetur. Sed hæc varietas ad nos nihil: cum de pila sermo sit, ex fimo Scarabeus informat, atque mox in aquas volutando protrudat.

GENERATIO. CAP. XVI.

Proximum huic significatum est, rerum procreationem atque principium, ex ejusdem animalis imagine significari. Siquidem ex aquis in lucem prodeunt Scarabei, veluti rerum omnium generationem ab aquis esse Philosophi non postremæ auctoritatis autumant, Homerum quippe secuti, qui totiens Oceanum rerum Parentem omnium appellat. Nam ea quis quotidie non teneatur, scandere aquas in cælum, diceret Plinius, easdemque cadentes omnium terra nascentium esse causam, truges indeigni, arbores fruticesque vivere, vitalem etiam herbis animam elargiri, omnes denique terræ vires aquarum esse beneficia? Quod vero Scarabeos diximus ex aquis primū lucem auspiciari, ex historia cognoscere est: quod scilicet simul ac pilæ illæ ex fimo fabricatæ sunt, Scarabeus terram infodit, ubi eas per dies octo & viginti sepultas occulat, quot itidem diebus I. una duodecim Zodiaci signa perambularit, atque hæc hyeme potissimum rigente sunt. Dumque ita pilæ terra cooperatæ confoventur, animantur primum in vermiculos, inde paulatim in genus informantur, fimo tamen uti folliculo quodam inclusi, nono autem & vigesimo die pater è nido prodit, pilulas egerit, & singulas, uti dicebamus, protrudendo in aquam provolvit: utpote qui diem eum Solis & Lunæ coitum conciliare non ignorat, ac perinde mundi ipsius generationem quandam assimilare, orbe inde Lunæ novæ oriri incipiente. Pilæ autem in aquis mollitæ primum, atque haud ita multo post ad apertæ cum fuerint, informati jam excluduntur Scarabei, & nigrum it campis agmen. Quod si Formicæ tanto hominum consensu provixæ titulum consecuta est, quod in convectandis asseruandisque prædis admodum sedula esse videatur, quos honores habendos Scarabeo excogitabunt mortales, qui non humanarum tantum rerum peritos eos, verum & cælestium, & divinarum propemodum non ignaros intueantur? Certe non immerito *κατὰ τὴν ἀφ᾽ οὐρανοῦ* proverbium celebratur, ab iis qui singularem in eo vermiculo sapientiam animadvertunt.

UNIGENITUS. CAP. XVII.

Quod vero apud Ægyptios legitur, Unigenitum hieroglyphice per Scarabei figuram significari, non eo tantum modo accipiendum, quo quempiam unicum filium Unigenitum appellare con-

suevimus, sed ea etiam de causa, quod ab uno tantum genus agnoscat: imo quod solus ipse sibimet feminium fuerit: singuli enim ex pilulis singulis procreati, nequaquam habent ad quod genus referant suum, sed absque ulla propagine, nulla maris genitura, nullo feminae conceptu, vermium sponte nascentium Instar, in eam speciem prodierunt.

DEUS IN HUMANO CORPORE CAP. XVIII.

EXigere videtur locus is, ut quo æquiores Ægyptiis simus, Deum optimum maximum humano corpore assumpto, Scarabei similitudinem subisse, Theologorum dictis odendamus: neque vero quisquam indignum facinus clamitet, Deum ipsum, omni admiratione maiorem, in insecto omnium vilissimo, teterrimo, putidissimoque; assimilari, qui legerit apud D. Augustinum Soliloquiis, de admiranda Christi humanitate dictum: *Bonus ille Scarabeus meus, non ea tantum de causa, quod Unigenitus, quod ipsemet sui auctor, mortalium speciem induerit: sed quod in hac face nostra sese volutarit, & ex ipsa nasci homo voluerit.* Neque veritus est probus ille Theologus, pietatis & integritatis columnæ, dum in nitidissimo Dei fulgore contemplando, hominisque; ex opposita parte cloacalem quandam putorem expendendo, subturpiculam locutionis quodammodo stomachosæ nauseam, delicatiori cuiuspiam habitam derisui, qui satis exploratum haberet, Deum se Vermem etiam per Prophetam appellasse, proindeque eos qui tanti mysterii cognitionem assequerentur, ac perinde stercoreariam Scarabei procreationem ex historia callerent, dictum utroque pollice probaturos. Quod vero ad Psalmographi dictum pertinet, *Ego sum Vermis, & non homo*, fuisse nonnulli, qui pro *sum Vermis, sum Scarabeus*, traduxere, quasi diceret, *Contemptissima res ego sum.* Euthymius ita ex Christi persona humiliare sese Davidem ait, qui alioqui & Propheta erat & Rex, alibi; se *Canem mortuum* appellare, ut libro Regum legitur. Qui vero putant dictum hoc propter humanam Christi generationem, quæ absque ulla viri conjunctione fuit, id nobis indicare videntur, quod quemadmodum Vermis è pluvia nascitur desuper in terram veniente, ita & Christus superno sancti Spiritus in Virginem adventu generatus est: quam ob causam Christus Vermis dicitur. Reliqua videris apud Adamantium concione in Lucam quartadecima, quam de Domini circuncisione conscripsit. Porro Augustini dictum eo quoque deduci potest, quod a sermone noster ait: *Ego sum Vermis, & non homo*; quia scilicet ex mare & femina homo nasci solet, ego vero non ex masculo & femina secundum ritum humanum, atque naturam, sed in exemplum Vermis natus sum, cujus non ex aliunde semen, sed in ipsis in quibus coalescit corporibus, est origo. Clementis Recognitionum opus circumfertur quaecumque, non vocabulis tantum vitiatum, verum sententiis etiam depravatum: in quo quidem multa à malignis ingeniis inimitationis nostræ ludibrium inculcata sunt. Sed hæc corrigere alterius fuerit censura, illud hoc loco tantum attingam, quod circa 6. lib. finem scriptum est: *Nos ut Canthari libenter volueremur in stercore*, ubi is qui glossemata quædam adscripsit, non *Canthari*, sed *ut Cantherii* legendum putat, ratus mirum Campanum proverbium ad hoc facere, *Cantherius in fossa*. In epistolis vero bonus ille vir quisquis censor fuerit, sed non satis eruditus, audacter *Cantherii* fecit, cum *Canthari* dubio procul sit legitima lectio, ex hac ipsa quam retulimus historia naturali desumpta. Sed ne quid quod ad Vermem facere succurrat, prætereamus, is præterquam nonnunquam cogitationis inquietudinem hieroglyphice significat, quod Eucherius ad Esaia dictum trahit, *Vermis eorum non morietur.*

VIR PATERVE. CAP. XIX.

Cum vero ita nascatur Scarabeus, ut nullo feminae beneficio progignatur, solaque patris cura, labore & diligentia vitam auspicietur (non enim femineum est inter eos genus) hinc fit, ut Ægyptii sacerdotes *ΠΑΤΡΕΜ* significaturi, Scarabei prætulerint imaginem: & ubicunque maris officium, masculamque vim exprimi voluerint, non alio magis uterentur hieroglyphico: nam veluti pro maris & femineæ sexus symbolo Vulturem pingebant, quod illa absque patris ope procrearetur, uti commentario suo disputatum est, ita virum ob similem, quam attulimus, causam, per insectum huiusmodi intelligi voluerunt.

STRENUUS BELLATOR. CAP. XX.

*Virgil. lib. 1.
Æneid.
l. ad. lib. 71.*

ET quoniam bellatorum animi ea maxime ratione commendatur, si viriles fuerint, virorumque sit bella gerere, Maronis Homeri; præcipue autoritate, illi ipsi sacerdotes masculam virtutem atque

A atque ferociam per Scarabeum expresse: cujus imaginem annulis insculptam milites gestasse, tradit Alianus, de quo plura apud Plutarchum libro de Iside & Osiride. Erat & signum Romanorum militum, Scarabeus, quo virilem animum præstare se debere admonerentur, neque muliebriter quicquam meditari facere, eaque de causa dictum ab Horatio:

De Arte Poetica. Æn. lib. 11.

Tyræusq; mares animos in Martia bella Veribus exacuit.

CONTRA vero & Phrygas & ἀχαιδᾶς, in effeminationis opprobrium Virgilius & Homerus, uterque suos appellavit: quod nihil saperent masculum, sed muliebri torpore ignaviaque essent.

SOL. CAP. XXI.

Cum vero plures sint Sarabeorum species, trium Ægyptii meminere, quarum unam αἰλεθόμοσ Plin. lib. 20. cap. 11. appellatur: quæ scilicet Felis faciem mira refert similitudine, estque radiis quibusdam insignita, eaque de causa Solis hieroglyphicum formam hanc esse voluerunt. Ajunt vero αἰλεθόν, qui apud Latinos nunc Cati, nunc Felis nomine receptus est, oculorum pupillarumque usum cum Solis cursu, αἰλεπαθεία quadam commutare: quippe quæ & noctu & ingrue matutino tempore vegetiores sunt, & acutius cernunt, ad ortum usque jubaris, inde sensim incipiunt hebetari meridiem versus: atque ita quo magis ad occasum declinat Sol, eo minus obscuriores fieri. Ad hæc Scarabeo digituli sunt univique triginta, totidemque sunt mensis dies, quibus Sol ortu continuo gradatim per singula signa cursum peragit solum.

LUNA. CAP. XXII.

Altera species bicornis est, ideoque ταυροειδῆς appellata, Tauri quippe insignis facie. Hæc Luna subjicitur: propterea quod cælestem Taurum Ægyptii Lunæ exaltationem commentati sunt. Gigni hos ex Vermibus, Aristoteles, qui lignis aridis innascuntur, asserit. Primum enim Vermes ipsi immobiles fiunt, mox disfructo putamine in Scarabeorum genus exit. Caterum Plinius genus hoc cui Tauri cognomen cornicula dedere, terrestre putat, eos idcirco alii terræ Pediculos vocant. Lucanos appellat Nigidius, quibus cornua prælonga, bifidus dentata forcipibus, in cacumine cum libuit ad morsum coeuntibus, quales infantium remediis ex cervice suspenduntur, eos in Veneta regione Gramphos, quasi Ceramphos, hoc est, bicornes appellamus. Cornicula ea non tantum collo Plin. ibid. Gallice, la grampe. suspensa ad quartanas, quibus id remedium applicat Plinius, verum etiam in frigidiuscula lavatione urinatoribus ad nervorum stuporem, qui plerumque fit in aquis, amuletum creditur: nam & id incommodi vulgo Gramphum vocitamus.

MERCURIUS. CAP. XXIII.

Erat & sua hieroglyphico Mercurii species dedicata; quippe unicornis, & ab reliquis forma admodum dissimilis. Neque sum nescius, quendam etiam esse parvum admodum Scarabeum frumenta erodentem, qui Cantharis appellatur, oritur is ex erucis fici, piri, & pini: fiunt enim ex his omnibus Vermes: caterum hi postmodum more Muscarum coeunt. Ridelam Metrodorus Sceptius Metrodori Sceptii ridicula observatio. observationem ponit, nostro etiam tempore haudquaquam abolitam in frumentis oleribusque ab earum injuria sospitandis, quod in Cappadocia inventum prodit, ob multitudinem Cantharidum, menstruas quippe mulieres ire per media arva, hortosve, retectis (sit verbo venia) supra clunes, vestibus, erucasque ita, ac Vermiculos, Scarabeosque, ac noxia alia decidere. Alibi servatur ut nudis pedibus eant, capillo cinctoque dissoluto, versu eo pronunciatum, Φύλατε καθαρότερος λύκῳ ὕμᾶς διώκει, Facite Cantharides, Lupus aggressus vos insequitur. Cavendum vero ne id oriente Sole faciant, D fementem enim tunc arefcere proditum est.

LETHALIS A SOLE FEBRIS. CAP. XXIV.

Ad hæc Ægyptii hominem lethali febre extinctum, quam sub dio solares radios, perpetiundo contraxerit, significare si vellent, Scarabeum cæcum effingebant: oculos quippe vel acu, vel alia levi cuspidate transfossam, ita, ut exoculatus omnino videretur. Ajunt enim solares radios Scarabeo inimicos esse, quibus si vehementius impetatur, accidere, ut statim obcoæctur: simulac vero cæcuse effectus fuerit, brevi etiam commori.

VIRTUS ENERVATA DELICIIIS. CAP. XXV.

Atque hic tam egregius bellatorum ductor, tam alienus à mollitie est, ut cum primum venereas rosas olfecerit, emoriatur, quasi virtutem quantumvis masculam illecebris enervari documen-

Rosarum
halitus
nonnulli
gravia.

cumento sit, quod quidem vel ab Aristotele traditum, aniam dat hieroglyphico non infuso: si, puta, quis velit Hannibalem durum Capuæ desidentem, effaminatum p ngere, scutum illi cum Scarabei signo tribuat, oras vero clypei rosarum fertis ambiat, aut quid huiusmodi. Sunt etiam in hominum genere permulti, qui rosarum halitum ferre non possunt, atque in iis pretii quantivis viri. Nam cum Romæ essem, vidi Oliverium Caraffam magnæ celebritatis Cardinalem, qui rosarum tempore quotannis secedere cogebatur, seque intra suos, quos in Quirinali habebat, hortos claudere, custodiis ad officia dispositis, ne quis aut salutantium, aut amicorum officii gratia ingredientium rosam inferret. Et in Romana nobilitate insignis vir Petrus Melinus, ingenio, eruditione, & loco nobilis rosarum odore plurimum offendebatur. Atque hæc de Scarabæo, quæ memoria complecti potui, succurrerunt, plura omnino scripturus, nisi Commentarium, quod eo super olim paraveram Vulturi adjunctum, ex clarissimi viri Alberti Pii Carporum Comitum scrinio surreptum, & a nescio quo bibliophago, vel furo potius, in Germaniam aportatum, adhuc desiderarem.

DE ECHINO TERRESTRI. CAP. XXVI.

Echinus Ægyptii, quod hæcenus legerim, literis suis non inferuere, multa tamen super eo significata Græci & atinque excogitarunt, quæ admiratione ingenii propemodum curiosis, quæ Formica super & Scarabæo diximus, conteri possint: atque ea quidem ad humanæ vitæ commoda, utili exemplo futura: cujusmodi illud est, quod in primis commemoratu dignum existimavi.

OPPORTUNITATIS CAPTATOR.

CAP. XXVII.

Tempori &
occasione in
servientem.
Echini ter-
restri can-
tio magna.

Hominem quippe temporum omnium conditioni sese accommodantem per id animal significari, & quod ait Phocylides, καὶ τὸ λατρεῖοντα. Novit siquidem Echinus (de terrestri nunc loquor, nam de marino inter pisces alibi agetur) cubilia sua Aquilonum & Austrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus fenestras facit, alteram Notum versus, Boream versus alteram, quaque parte ventum futurum præcognoscit, fenestram obturat, alteram recludit: sin intra tectum alatur, ad parietem discedit. Quod Cyzici quidam cum observasset, consecutus opinione est apud omnes, ut ventos qui spiraturi essent, ex se ipse præcelleret: quod alii Byzantii evenisse tradunt, forte quod tunc rerum summa apud Byzantinos esset. Sed ubicumque illud acciderit, satis nobis est id ab Echino fieri, quod documento nobis est, præcavere quantum fieri possit, ne imminens nos occupet calamitas; ea si vicerit, ne adversus prævalentis fortunæ impetum reluctabundi frustra fatigari velimus: stectendam vero viam velis, cum obniti contra non detur, quoque trahit fortuna, iter intendendum. Non enim est, ut idem inquit Phocylides, in ventum reslandum. Quin potius tales simus, ut quo nos cumque rapit tempestas, æquo animo deferamur, atque, ut optime Virgilius monet, si quo Italiam contingere cælo nequeamus, quia scilicet:



Æn. lib. 5.

Æn. lib. 5.

Mundi transversa fremunt, & vespere ab atro
Conjurgunt venti, atque in nubem cogitur ær,
Nec has obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus, superat quoniam fortuna, sequamur,
Quæq; vocat veramus iter.

Atque hoc illud esse crediderim, quod in Echino tanti facere videtur Archilochus, dum super animalis hujus prudentia ita scribit:

Παῖς

Πολλ' οἱ δὲ ἀλώπηξι, ἐχίνῳ ἐν ἰσχυρῶ.
Multa quid. m. Vulpes, magnum unum novit Echinus.

Vel ut numerum reddamus,

Scit multa Vulpes, unum Echinus, at magnum


Sane Salomon Erinacium inter animalia terræ minima, quæ sapientibus sapientiora sunt, nominat, ut Septuaginta edidere. Nam Leporem vulgata editio ponit.

CONTRA PERICULA MUNITUS.

CAP. XXVIII.

Illud quoque super Echino significatum ponunt, ut per hieroglyphicum ejus, hominem ab insidiis & periculis ac cujuscunque fortunæ casibus tutum ostendent. Siquidem is simul atque ferarum se impetentium odorem latratumve senserit, in orbem sese colligit, rostro pedibusque intrinsecus, testudinis more contractis, tergore omni pilæ instar conglobato, spinisque, quibus undecunque munitus est, ad incolumitatem erectis otatur, contactum suum omnibus formidabilem reddens. Ad hæc autem respexisse videtur Horatius Poëta, cum se ita contra fortunæ impetum præparatum scribit, ut sua involutus virtute tutus ab ejus injuria fiat. Ita enim inquit:

Fortuna sevo lata negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: sceletes quatit
Pennas, resigno qua dedit, & mea
Virtute me involvo, probamq;
Pauperiem sine dote quæro.



ib. 7. Cap. us finem.

PROCRASTINATIONIS DAMNA.

CAP. XXIX.

Atque hoc tam prudens alioqui animal in opportunitate captanda, & periculis evitandis ingenio & natura præmunitus, damni tamen alicujus, ob procrastinationem ingruentis, hieroglyphicum est, si illi fetus adjicitur suus. Id enim malum ex contatione majus effectum ostendit, propterea quod alvo stimolata quamdiu potest partum differt, quo fit, ut fetus magis inolefcens, majorem postmodum in pariundo dolorem afferat. Duo ejus genera omnino sunt, maritimum & terrestre, utriusque nomen apud Græcos ἐχίνῳ. Terrestris, de quo jam diximus omnibus innotuit sub Erinacii nomine. Hujus quoque



Aristot. de partibus animal. lib. 4. c. 5. Plin. lib. 9. cap. 31. Echini terrestres speciei duæ.

D species duæ sunt, Suilla, & Canina, quæ quidem rictu & pedibus aut Suillis aut Caninis similibus distinguntur. De Suillis Eucherius: Erinacei chærogrilli nuncupantur, magnitudine prope mediocrium Cuniculorum, qui de cavernis petrarum procedentes, gregatim in eremo, quæ est contra Mare mortuum, pabulantur, qui de cavernis petrarum procedentes, gregatim in eremo, quæ est contra Mare mortuum, pabulantur, qui & Echini dicuntur, ita spinoso defenduntur tegmine, ut nec contingi quidem possint. Par huic cum Formica solertia comparando victu, qui poma aculeis affixa congerat in cavernam: infamis tantum est invidia: nota quod cum optime norit se propter cutem præcipue peti, cujus usus poliendis velleribus inservit, simulac in periculum se adactum videt, urina sua emissa tergus omne conspergit: sibi conscius id inde putrefcere, aculeosque sponte mox decidere.

N

JOAN.